



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

2. Cur in astris animalia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

ut gratissimos hospites, & ex via fessos, amantissimè excepisset, & in maritali lectulo ambos collocasset, conspicatus duos in toro suo cubantes, statim exclamavit: adulterium! & utrumque momentò confodit. Parricidiò deinde cognitò amarissimis infusus lacrimis ad prærupta Nili fluminis, casam piscatoriam ædificavit, & mira charitate advenas omnes excepit; donec denique ex leproso, quem hospitalissimè habuerat, subitò rosei juvenis instar refulgente, inque cœlum evanescente, intellexit, commissorum veniam datam sibi, & ipse, & conjux pia morte defuncti, ab eo sunt in astris recepti, quem quia in terris hospitem habuerunt, *Hospitum* nomen jure tulere. Rectè igitur vovet, gratularurque Vates Venusinus:

Felices ter & ampliùs,
Quos irrupta tenet copula; nec malis
Divulsus querimonijs
Suprema citiùs solvet amor die!

II. (b) Occasio hìc incidit *Canis*, cui nomen *Lalaps*, quem *Cephalus* unà cum jaculo, cujus ictus erat inevitabilis, ab uxore *Procri*: hæc ab *Aurora*, aut, ut quidam volunt, (neque enim in fabulis certa requiritur narratio) à *Minoë* *Cretensium* rege, dono accepit; quò sese *Cephalus* in silvis assiduè oblectabat; nam canis

Non jaculi, non retis egens; quemcunque sagaci
Nare procul legeret, dente tenebat aprum.

Hæc denique oblectatio, uti narravimus, in tristem luctum desijt; *Procri*s suis ipsamet muneribus miserimè periijt; cujus fatum miseratus *Jupiter*, canem inter astra retulit, qui *Sirius* dicitur, ἀπὸ τῆς σείρειν, id est, à hiando, quod per æstum canes faciunt; vel ἀπὸ τῆς σείραναι, quod est, arefacio; hoc enim sidus circa *Julias* calendas exoriens omnia torret. Poëtæ, quibus libera fingendi potestas, non rarò duos cœlestes canes, *Minorem* seu *Procyonem*, de quo *Symb.* 10. & *Majorem*, seu *Sirium* confundunt, Ut *Ovidius* lib. 4. *Fast.*

Est canis, *Icarium* dicunt, quo sidere moto
Tota sitit tellus, præripiturque seges.

Sed parùm hoc refert; nos ethicam indagamus, monemúsque, inter *Rivales* sive viros, sive feminas (quales erant *Aurora* & *Procri*s) dona plerùmque exitialia esse. Deinde neque canem venaticum, neque jaculum pro dono vel dando vel accipiendo satis convenisse *Procridi*, cui colus & lana erant tractanda, arma linquenda viris. Ipsa marito causa fuit

(b) Cur in astris animalia.

sa fuit silvas impensius sectandi, & curas domesticas in ferarum agitationem divertendi. Tertio, quid faciunt bruta animalia in cœlo? cur à Jove, & Dijs cæteris inserta sunt astris? ut indicetur, quale sibi cœlum fingant, qui cupiditatibus suis abrepti, in ijs felicitatem suam repositam credunt. Sic venator *Canes* etiam inter sidera suspicit; equorum studiosus, *Cyllaros & Pegasos* contemplatur; sectator Bacchi sua desideria ad *Amphoram* mittit; avarus, inauratos *Arietes* miratur; invidus oculos in scorprios, caudâ venenum lethale ferentes intendit; libidinofus proclives in Venerem *Tauros* considerat; iracundus flammivivos *Leones* inter astra colit; pigritiæ deditus tardigrados *Cancros* sibi objicit; mensarum affecla, in *Lepores & Pisces* sidereos prurit; superbus in *Capricornum*, Jovis collactaneum, hoc est, tollentem in altum cornua Caprum lumina vertit; ita nullum est Vitium, cujus in cœlo, velut in alto ferarum stabulo imago non repræsentetur, & falsa specie sideris, non ametur ac desideretur.

SYMBOLUM XLIII.

Dædali felix volatus, infelix Icarî filij.

8. *Metamorph.*

Ethicè.

1. Opificum invidia mutua.
2. Ingenium vafrum.
3. Ingenium solers.
4. Parentum officia.
5. Temeritas juvenilis.

Dædalus Atheniensis, artificum omnium suæ ætatis præstantissimus, invenit primus perpendiculum, terebram, glutinum, vela, antennis, statuas, nervis & rotis occultis mobiles, quæ *automata* vocantur. Hic ex invidia *Perdicem* sororis filium, de muro arcis Athenarum deturbavit, quod is ferram, circinum, tornum excogitasset, quem Minerva ingeniorum faulrix in avem cognominem, in ipso casu suo transformavit. Quam ob causam Dædalus judicium & damnationem metuens, in insulam Cretam exulatum profugit. Hic *Labyrinthum* construxit, multiplici & intricata viarum perplexitate irremeabilem; in quo tam ipse, quam filius Icarus à Minoë Cretensium rege fuit inclusus, eò quòd turpibus *Pasiphaës* reginæ amoribus fabricando subservisset;